



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

XXXIX. De eodem, ex statuto domini Friderici Salzburgensis archiepiscopi,  
quod incipit: Item statutum. & ex statuto domini Ioannis Tusculani  
apostolicae sedis legati, quod incipit: Nonnulli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

## XXXVI.

ANNO  
CHRISTI  
1420.

*De his qui verberant vel capiunt nuntios legatorum apostolicæ sedis, archiepiscoporum, delegatorum iudicium & aliorum: aut eos qui de curiis eorum veniunt, aut eos occidunt: ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Si qui in tant.*

Cipientes, verberantes nuntios legatorum apostolicæ sedis de latere missorum, seu archiepiscoporum, aut episcoporum, vel delegatorum; & eisdem literas auferentes, vel dilaniantes, seu ipsos in iurisdictionem, [aut] eis commissa quomodolibet, manifeste vel occulte impedientes: similiter & illi qui ad curiam eorum legatorum, archiepiscoporum, episcoporum, vel delegatorum venientes, aut abinde recedentes offendunt in personis, aut bonis quæ secum habent, spoliant, excommunicati sunt ipso facto.

## XXXVII.

*De eodem, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Salzburgensis, quod incipit: Præterea.*

Reus verberans, spolians & captiuans nuntium iudicis, literas judiciales deferentem, pro conuictio debet haberi: & idem in actore in causa reconuentionis.

## XXXVIII.

*De his qui bona decedentium clericorum occupare præsumunt, ex statuto domini Guidonis cardinalis apostolicæ sedis legati, quod incipit: Item ad aures.*

Patroni ecclesiarum tam clericorum quam laici, aduocati, iudices & præcones bona decedentium clericorum occupantes & usurpantes, excommunicationis vinculo, quo usque ablata restituant, debent innodari.

## XXXIX.

*De eodem, ex statuto domini Friderici Salzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Item statutum. & ex statuto domini Ioannis Tusculani apostolicæ sedis legati, quod incipit: Nonnulli.*

Raptiores, inuasores & occupatores bonorum clericorum detinentium, ipso facto excommunicationis sententiam incurront. Et in locis, vbi talia bona violenter

ANNO CHRISTI 1420. ablata conseruantur, tamdiu cessari debet a diuinis, postquam hoc rectoribus ecclesiarum innotuerit, donec ablata huiusmodi successori defuncti reddantur, in pristino loco reponantur, ac alia satisfactio competens subsequatur.

X L.

*De eodem, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Ad extirpandam.*

Ecclesiarum patroni, siue clerici aut laici, qui rectore ecclesiae mortuo, dotem & ecclesiam rebus mobilibus seu immobilibus spoliant, cuiuscumque dignitatis fuerint, sunt a iure putandi illa vice suspensi, & collatio ad immediatum superiorem deuoluitur. Insuper etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurunt.

X L I.

*De his qui imponunt tallias & exactiones ecclesiasticis personis.*

*Ex statuto domini Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis,*  
*quod incipit: Cum ecclesiæ.*

ImpONENTES clericis & ecclesiasticis personis, & recipientes ab eisdem exactiones, tallias & collectas; si infra mensem, postquam per ecclesiarum prælatos moniti fuerint, non desisterint, vel de dannis illatis competenter non satisfecerint; excommunicati sunt ipso facto, & terræ ipsorum ecclesiastico subiacent interdicto.

X L II.

*De his qui ecclesiasticas personas compellunt soluere paedagia vel quidagia de rebus suis. Ex statuto eiusdem domini Pilgrini,*  
*quod incipit: Constitutionem: & in cap. de censibus, lib. 6.*

Bonifacius VIII. statuit, quod si vniuersitas seu communitas, vel singularis quamcumque persona, cuiuscumque dignitatis fuerit, per se vel per alium, suo vel alieno nomine ecclesias vel ecclesiasticas personas compulerit soluere paedagia vel quidagia, seu exactiones pro rebus suis, quas causa negotiationis non deferunt, vniuersitas talis est interdicta, & personæ singulares excommunicatae. Nec valet contraria consuetudo. Et hæc constitutio per prælatos, archidiaconos & plebanos debet solenniter publicari.

*Concil. Tom. 29.*

Xxxij